

[Accueil](#)[Revenir à l'accueil](#)[Collection Boite_023 | Notes de la fin de sa vie pour ses derniers livres.](#)[Collection Boite_023-10-chem | Philodème. Item\[Alexander Olivieri. Philodemi. Praefacio - suite\]](#)

[Alexander Olivieri. Philodemi. Praefacio - suite]

Auteur : Foucault, Michel

Présentation de la fiche

Coteb023_f0458

SourceBoite_023-10-chem | Philodème.

LangueFrançais

TypeFicheLecture

RelationNumérisation d'un manuscrit original consultable à la BnF, département des Manuscrits, cote NAF 28730

Références éditoriales

Éditeuréquipe FFL (projet ANR *Fiches de lecture de Michel Foucault*) ; projet EMAN (Thalim, CNRS-ENS-Sorbonne nouvelle).

Droits

- Image : Avec l'autorisation des ayants droit de Michel Foucault. Tous droits réservés pour la réutilisation des images.
- Notice : équipe FFL ; projet EMAN (Thalim, CNRS-ENS-Sorbonne nouvelle). Licence Creative Commons Attribution – Partage à l'Identique 3.0 (CC BY-SA 3.0 FR).

Notice créée par [équipe FFL](#) Notice créée le 19/03/2021 Dernière modification le 23/04/2021

verunt aut ad usum suum accommodaverunt. Sed commen-taria eorundem virorum ad textum hunc valde difficilem, involutum, contortum et lacunosum intellegendum haud par-vae sunt utilitati.

Qui postea vel Epicuri vel Metrodori reliquias accurate investigaverunt et collegerunt, Usenerus in primis (*Epicurea*, Lips., Teubn. 1887) et Körtius (*Metrodori Epicurei fragm.*, Lips., Teubn. 1890) et Crönertius (in *Hermae* tomo LVI, a. 1901), ex hac papyro fragmenta primum aut iterum in lucem dederunt, quae alterutrius nomen continerent, et, viri doctissimi, aut illorum textum perpolire studuerunt, aut ampliora in volumine legerunt. Crönertius autem in „*Memoria graeca herculanensi*“ (Lips., Teubn. 1903) volumen magna ex parte se contulisse adfirmavit, cuius re vera non nullas novas lectiones passim indicavit.

Cum autem quoque volumen hic et alibi diffractum inde ab editione neapolitana pulvere se insinuante magis evanidum magisque dissecutum compluribus locis restituere haud facile sit, diligentissime examinavi, patienter legi et rursus legi, minima litterarum vestigia inquisivi, at quae nullum praebant sensum quaque prorsus restitui non queant, omnino omittenda et repudianda putavi.

De voluminis ambitu. Cum ad stichometriam designan-dam has litteras inveniamus:

Tab. II fr. 8 (cf. Append.): H
in marg. frustuli post fr. 15 (cf. Append.): I
in marg. fr. 20, 6: Y
in marg. Col. VII^b, 6: H { 6 col.
in marg. Col. XIII^b, 7: O { 6 col.
in marg. Col. XIX^b, 9: I { 5 col.
in marg. Col. XXIV^b, 9: K { 5 col.

hoc evidentissime patet repetitas esse litteras (A—Ω), quae iam essent adhibitae. Cum autem descriptio stichometrica senas columnas et 200 στίχους habeat, totus libellus constabat stichis;

$$4800 (200 \times 24 [\text{A}—\Omega]) + 1800 (200 \times 9 [\text{A}—\text{l}]) \\ + 163 [\text{inter l et K}] + 4 [\text{K}] = 6767.$$

Dom. Bassi (o. l.) qui singulari quadam patientia stichos in libello extantes enumeravit, 2400 vel minus invenit; ego autem ex illis qui restitui possint, 1000 circiter aut paulo amplius enumeravi; ita ut manibus teneamus ne sextam quidem partem totius operis.

De libelli indole. In hoc volumine conscribendo, quantum ex laciniis eruire licet, id sibi praecipue proposuit Phi-lodemus, ut doceret: a) mortales cuiusvis generis, fortunae, aetatis, variis erratis teneri et implicari, proptereaque libere corrigi oportere; b) optima dicendi libertate philosophum vel sapientem tantum uti (1, 49, I etc.).

Quod si rerum materiem nobis traditam in conspectu habere, ut ita dicam, earumque rerum ordinem investigare et per summa capita definire cupiamus, ante omnia maioris momenti praecepta afferenda sunt, quae Philodemus sapien-tibus qui aliorum mores, iuvenum praesertim, emendare ag-griantur, in memoriam revocat.

A. Compluries adfirmat rationem quandam et diligentiam adhibendam esse, ut monitio acerbitate careat; nimis enim imprudenter se gerere praceptorum qui acriter et cum fastu, tum conviciando et contumelias et obiurgationibus (VII) vexando discipulum reprehendant; qui contra non iracunde nec magna vocis contentione sed leniter et benigne, hilariter et clementer discipulos castigent, magnae eidem esse utili-tati (6, 10, 11, 14, 23, 37, 38, 44, 61, 73, 85, 86, 87, VII, etc.). Interdum sapientem se iratum ostendere, quandoque eundem discipulos acris obiurgare, sed raro et cum de peculiaribus erratis conqueratur (58). Plerumque enim nōcere potius quam prodesse correctionem, quae cum asperitate et acerbitate sit coniuncta (37, 38, 52). At pro aspera et severa corrigendi ratione ironiam potius adhibendam esse, quae quidem delectet et leniter homines mordeat (26, 27). Per apophthegmata quoque facilius et amicus admonitionem accipi (VI). Neque assidue de eadem re arguendos

BnF
MSS

